



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XXIV. De Lusu Religiosorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

dicimus jus retractus tam gentilitij quam communionis ex nullo Jure communi, sed ex municipali ac consuetudinario dependere: hoc cum pro varietate locorum etiam ipsum sit varium, universale quidpiam & in communi pro omnibus provincijs poterit difficulter decerni. Ex jure communi nihil in hac re statui, ex eo probari potest, quod per *Legem dudum 18. §. de contrab. empt.*: Jus retractus revocatum, nec per constitutionem Friderici Imperatoris restauratum sit, eo quod ista inter Leges Romanas contendente Carpz. p. 2. *const. 31. def. 1. Berlich. p. 2. con. 39. n. 15.* recepta hactenus necdum fuerit. Cum igitur quotidiana

consuetudine in Germania practicetur aestimandum est, generaliter totius Germaniæ, ac omnium ferè locorum consuetudine jus retractus receptum fuisse.

Illud addimus, Palatum Lauren. cum alijs communiter ut certum affirmare parti innocenti etiam in permutatione jus retractus competere, si constet ac probari possit, dolose ac in fraudem consortis permutationem potius quam venditionem rei communis institutam fuisse. Unde circumstantiæ, in quibus hæc permutatio facta est, erunt examinandæ, ut decidatur, an jus retractus uxori ac filix defuncti Martini competat.



CASUS XXIV.

De Lusu Religiosorum.

Quidam Religiosus ex ordine A. tempore Vacationum autumnalium divertens ad celeberrimum quoddam alterius cujusdam ordinis Monasterium ab hujus R. R. Patribus ad ludum chartarum invitatus fuerat, renuit ab initio diutius Religiosus hospes, eo quod optime novisset, se semper ob suam in ludendo infelicitatem ad magnam iram commoveri. instant tamen acrius Religiosi domestici, & vix non hospitem invitum ad ludum chartarum compellunt, continuandum ad certas horas, queis finitis cuilibet

bet licitum foret, si voluerit, à ludo desistere, luditur itaque & contra omnem spem, & expectationem Religiosus hospes sexaginta florenos lucratur. Cùm designata pro lusu chartarum horæ, & adhuc una vel altera effluxissent hospes victor ludendo fessus abrumpere lusum meditatur; cùm ecce reliqui Religiosi commoveri irâ utque ludum continet, ardentius exposcere, nec velle permittere, ut lusum victor abrumpat, victor hospes, cùm nec ulterius ludere, nec Religiosos, à quibus lautissimè tractabatur, offendere, aut contristari veller, sexaginta quos lucratus fuerat, florenos, in mediam mensam projicit, utque singuli suam, quam perdidierant partem ex illa seligant, hortatur, quod & diligentissimè à devictis impletum fuit, occasione hujus casus,

Q. 1. Qualisnam præsumpta licentia Religiosis ad aliquid accipiendum vel expendendum sufficiat?

Q. 2. An Religiosus habens licentiam ad aliqua in usus, qui ei placuerint expendenda, admittat peccatum proprietatis, si illa in usus inhonestos expendat?

Q. 3. Quid de hoc particulari casu sit tenendum?

SYNOPSIS.

§. 1.

Resolvitur primum Quæsitum

Qualisnam licentia præsumpta sufficiat?

- | | |
|--|--|
| <p>1. Emitentes votum paupertatis perpetue in religione approbata omni jure, dominio, vel saltem libera dispositione honorum fortune se abdicant.</p> <p>2. Hujus voti violatio est sacrilegium.</p> | <p>3. Et contingit, si acceptio, reventio, vel alienatio sine consensu superioris fiant.</p> <p>4. Etiam obtento consensu superioris violari paupertatis votum potest.</p> <p>5. Licentia consentientis superioris potest esse diversa.</p> <p>S s</p> |
|--|--|

6. Va

6. *Varie species licentie præsumptæ explicantur.*
7. *Ut aliquid à Religioso licitè accipiatur, sufficit licentia tacita.*
8. *Si Superior adiri nequeat, urgeatque occasio, sufficit, quòd consensus superioris præsumi possit.*
9. *Monendus tamen de hoc postmodum Superior erit.*
10. *Nec sufficit, subditum scire, Superiorem si rogaretur, consenturum.*
11. *Sufficit autem, quòd Prælatus sit ita invitatus quoad modum, quin ratione hujus etiam quoad substantiam sit invitatus.*
12. *Aliàs peccabitur graviter.*
13. *In quo sensu licentia præsumpta detur actu.*
14. *Consensus privim futurus sufficit ad effectum, qui solum debet non esse involuntarius.*
15. *Votum paupertatis Religiosum verò pauperi assimilatur.*
16. *In quibusdam circumstantiis etiam postea non erit licentia petenda.*
17. *Non quævis taciturnitas Prælati videtur esse sufficiens.*
18. *Quandonam taciturnitas Prælati videtur, ac tacentis sit habenda pro approbatione.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An Religiosus habens licentiam ad aliqua, in usus, quibus sibi placuerint expendenda, admittat peccatum proprietatis, aut injustitiæ, expendendo illa ad usus turpes, aut prohibitos?

19. *Decisio hujus difficultatis ex quo petenda auctoribus, qui negant superiorem posse dare subditis facultatem expendendi sua in usus illicitos.*
20. *Afferuntur illorum rationes.*
21. *Dans generalem licentiam, hæc etiam illicitos usus potest comprehendere.*
22. *Prout fit in dispensatione circa impedimentum consanguinitatis, aut circa jejunium.*
23. *Solus concedens particularem ad usus illicitos licentiam, ipse cooperari videtur.*
24. *Non autem dans generalem, quæ sine limitatione subordinato superiori concedi potest.*
25. *Qua semel habita superior non videtur invitatus quoad substantiam.*
26. *Nec obstat, quòd Prælatus sit solum Administrator bonorum Regularium.*

28. Turpitudine subinde in ipso contractu, subinde in solius contrahentis mente reperitur.
29. Quae in solius contrahentis animo se tenet, sub generali licentia comprehenditur.
30. Haec etiam probabilis se extendit ad actus in se turpes.
31. Licentia ad actus turpes in generali concessione sine peccato potest subditis concedi.
32. Ratio affertur, cur Pontifex dante facultatem Episcopo testandi iudicetur excipere causas profanas; non autem superior Religiosus usus inonestos ac turpes.

S. III

Resolvitur tertium Quaestum.

Quid de hoc particulari casu sit tenendum?

33. Religiosus noster si absque omni licentia sui superioris lusserat, violavit votum paupertatis.
34. Et consequenter acquisitum taliter lucrum tenebatur restituere.
35. Nec potest talis ab initio invalidus contractus postmodum à Prælato ratificari.
36. Nec ipsi Religiosi domestici ab externo sine licentia ludente obtentum lucrum fecissent suum.
37. Possunt Prælati Religiosi subditis suis dare licentiam ad honestum lusum.
38. Si victor in ludo Religiosus universalem licentiam habuit sua expendendi, valebat lusus.
39. Erat tamen iste nullus, si lusus in illo ordine erat prohibitus, & Religiosus ad honestos distaxat usus habebat licentiam.
40. Supposito valore lusus lucrum transit in dominium Monasterij.
41. Ut validè ludatur, debent colussores illum, quam singulis jactibus deponunt, quantitatem habere.
42. Lucrum acquisitum uno jactu potuit exponi etiam altero, quamdiu idem ludus duraverat.
43. Et probabilis etiam altero die cum iisdem Religiosis ludendo.
44. Nec potuit per se lucrum à victore devictis in ludo Religiosis restitui.
45. Bene autem per accidens.

S. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Qualenam præsumpta licentia Religiosis ad aliquid accipiendum, vel expendendum sufficiat?

- 1** Certum est primò, quòd emittentes in Religione approbata votum paupertatis perpetuæ se abdicent omnium rerum temporalium externarum dominio, possessione, omnique jure reali, vel saltem liberâ, sive à superioris consensu independente, ejusmodi rerum dispositione, & usu.
- 2** Certum est secundò, violationem hujus voto promissæ paupertatis peccatum sacrilegij esse, cum reverentiæ Deo debitæ repugnet, exhibere se illi infidelem, non exequendo, quod promissum eidem fuerat.
- 3** Certum est tertio, ut hoc paupertatis votum violetur, necessarium esse, ut acceptio, & retentio, vel alienatio absque superioris consensu fiat: tunc enim fit nomine proprio, quando non fit dependenter à licentia concessa à superiore. Juxta *cap. non dicatis: 12. q. 1. ibi: quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occultè quolibet munus accipiat: & cap. cum ad monasterium: de statu Monachorum ibi: non presumat illud accipere. Cum autem ea, quæ sine licentia superioris accipiuntur, possunt esse vel bona conventus, vel externorum: hinc juxta Suarezium *de Religione lib. 2. c. 11. n. 39.* utens sine licentia superioris, ipsius conventus rebus & bonis tum contra justitiam, tum contra Religionem peccabit, cum re alterius invito rationabiliter Domino illius, utatur.*
- Certum est quarto, non obstante licentia superioris consentientis in acceptionem rei peccari posse contra votum paupertatis, si nimirum ejusmodi res non deceant statum paupertatis, quem Religiosi profitentur.
- Cum igitur ad licitum & votum paupertatis non contrarium rerum externarum usum licentia superioris sit necessaria, ideo qualis hæc debeat esse, examinandum superest. Dividetur illa communiter in expressam, & presumptam: expressa datur, cum superior verbis, aut signo hi æquivalente communicat suo subdito licentiam: & hoc modo definita involvit etiam tacitam, in quantum hæc in quâdam expressa, tanguam pars in toto, vel ali-

aliquid cum expressè concessa
connexum, eique accessorium
connectitur. præsumpta verò di-
citur, quæ fundatur in consue-
tudinè, quam superiores sciunt
& non impediunt, cum tamen
possint, tunc enim tacitè viden-
tur consentire. prout docent San-
chez lib. 7. in Decalogum cap. 19.
n. 7. Suarez tom. 3. de Religione
lib. 8. cap. 11. n. 6. & 7. Lugo
de Just. Disp. 3. sect. 7. n. 123.
Alia adhuc in consuetudine neu-
triquam fundata, præsumpta, seu
interpretativa licentia datur, quæ
neque in se, neque in alia ex-
pressè concessâ, data fuit, sed
solummodo danâ judicatur, si
actu peteretur: in quantum sub-
ditus probabiliter judicat, supe-
riorem nequaquam ægrè laturum
esse, quòd subditus aliquam rem
acceperit vel dederit etiam ipso
inconsulto.

De hac igitur ultima specie præ-
sumptæ licentiæ modò quæstio
instituitur, in quibusnam circum-
stantijs illa sit sufficiens, ut pec-
catum proprietatis evitetur, li-
cèt in scio Prælato aliquid accipia-
tur, vel detur alijs? Commu-
niter asseritur, sufficere, quòd
subditus sciat, quòd Prælati, si
adiretur, licentiam concessurus
esset, licèt interea eidem modus
displiceat aliquid accipiendi, aut
dandi sine licentiæ petitione. Ra-
tionem hujus sui asserti afferunt,
quòd in similibus casibus superior
nequaquam quo ad substantiam,

bene autem quo ad modum sit
invitus, potest autem duplex in
hac materia occurrere casus: pri-
mò potest contingere, ut propter
absentiam vel periculum moræ
superior adiri nequeat; ex altera
verò parte urgeat occasio ratio-
nabiliter aliquid expendendi, vel
accipiendi: secundò possit quid-
dem superior facillimè adiri, hoc
tamen omittit subditus persuasus,
superiorem consenturum, vel non
ægrè laturum esse, si etiam non re-
quisito illius consensu rem talem
accipiat vel expendat: item sub-
ditus potest sibi persuadere, su-
perioris super hoc requisitum,
statim in acceptionem hujus rei
consensurum esse, & propterea
ille omittit eum adire, eò quòd
præsumat, superiorem etiam non
requisitum, quo ad substantiam
non fore invitum, sed tantum
quo ad modum, hoc est con-
sentire in acceptionem rei, invi-
tum tamen esse, ac ægrè ferre,
quòd subditus eundem non con-
venerit, his suppositis.

Dico 1. Possè à subdito aliquid
accipi vel expendi, modò habeat
licentiam tacitam. Ita communis
Doctorum, prob. vi legis cum quid
mutuum 3. ff. de rebus Creditis ta-
citi & expressi idem iudicium,
eademque vis est. Prob. 2. taci-
tè concessum in expresso conti-
netur virtute, ac ei annexum &
accessorium est. Cùm autem ta-
cita licentia adesse iudicetur, dum
superiore conscio, & cùm facile

posset, non prohibente; vel etiam vi consuetudinis sciente & non contradicente superiore recepta aliquid accipitur, sciendum, ut hæc veræ cuiusdam licentiæ tacitæ rationem habeat, necessarium esse, ut superior conscius non tantum taceat & non contradicat ex verecundia vel metu querelatum, aut similibus incommodorum; si enim ita se res habet, nequaquam consentire superior, sed tanquam minus malum solimodo tolerare præsumendus erit, hinc talis superioris consensus non erit voluntarius, & consequenter insufficientis.

§ Dico 2. Si propter absentiam, vel occupationem superioris, aut moræ periculum expressus consensus haberi non possit; ex altera verò parte accipiendi occasio urgeat, sufficiet præsumpta, hoc est, quod prudenter præsumat, superiorem si adiri posset, in hanc acceptionem consensurum. Ita judicant Suarez tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 8. cap. 14. n. 3. Palao tract. 16. disp. 3. p. 23. n. 6. Wiestner de statu Monach. n. 35. prob. qui aliquid accipit vel distrahit, quod rationabiliter credit superiorem, si conveniri hic & nunc posset, esse approbatum, non censetur hoc invito, & sine hujus licentia facere: ergo &c. ant. habetur in lege inter omnes 66. §. 7. ff. de furtis. In hoc enim non habetur reus furti, qui rem alienam cum Domini ratio-

nabiliter præsumpto consensu accipit.

Dico 3. Quod si taliter accepta necdum sint consumpta, sed adhuc retineantur, ut contra votum paupertatis non peccetur, requiri, ut postea illorum acceptio superiori manifestetur, ita Sanchez lib. 7. cap. 18. n. 8. Lugo, Wiestner loco cit. n. 36. cum alijs probatur: solum potuit præsumi, quod Prælati consentiat, ut sine suo consensu expresso accipiat pro tunc, quando conveniri non poterat: non autem ut illo inconsulto etiam retineantur, quando remotis impedimentis adiri poterit.

Dico 4. Ad licentiam præsumptam nequaquam sufficere, quod subditus sciat Prælatum, si adiretur, licentiam sibi concessurum esse. Ita Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 19. n. 13. Lugo de Just. disp. 3. sect. 7. n. 124. cum alijs prob. hoc concessio tanquam licito omnis Religiosa disciplina dissolveretur, ipsum paupertatis votum esset observantia de solo titulo: ergo &c. Prob. ant. valde parva in Religiosis evenient, quorum licentiam non sint obtenturi, si hanc à Prælato petiverint: ergo si hæc licentia conditionata fuisset, everteretur disciplina Religiosa, cum nunquam petenda esset licentia. Confirmatur, vel Religiosus crederet, quod rogatus superior concessurus fuisset licentiam? vel non crederet? si

non credit, stultè peteret, quòd non sperat concedendum: si credit, non deberet illum accedere; ergo nunquam petenda esset aliqua licentia.

Conf. 2. Illa licentia de superiore non est præsumenda, quàm ipse superior nequaquam potest concedere: sed non potest concedere, ut res acceptetur absque petita licentia, modò credatur, quòd superior esset hanc concessurus, si conveniretur: ergo &c. min. constat, quia hæc licentia destrueret totam Religiosam disciplinam, quam superior in conscientia sub gravi tenetur conservare.

Conf. 3. Si subditus sciat, superiorem velle, ut non violet certum præceptum, nisi in illo cum ipso fuerit dispensatum, non poterit ille sine gravi peccato tale præceptum transgredi, licèt sciat, superiorem, si ab hoc peteretur dispensatio, hanc eidem daturum esse: ergo idem de voto paupertatis tenendum; scilicet peccatum graviter, qui scit Prælatus obligare graviter, ut nihil accipiat sine licentia; ille tamen sine obtenta, & petita quidquam accipiat, ex eo, quia superior concessurus esset, si peteretur licentia.

11 Dico 5. Si Prælatus quo ad modum sit quidem invitus, non tamen ita, ut ratione hujusmodi etiam hic & nunc quoad substantiam invitus sit; cum tali præsump-

ta licentia operans nullum mortale contra paupertatis votum committet, ita Suarez tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 11. n. 6. § 7. Lugo n. 125. loco cit. Prob. potest contingere, ut modus Prælato absolute quidem, non tamen ita graviter displiceat, ut ratione hujus inconvenientis modi, totum suum jus retinere velit circa substantiam rei acceptæ vel distractæ: sed in tali casu non committitur peccatum grave: prob. min. in tali casu ipsa substantia acceptio- nis, vel alienationis non est contra voluntatem Prælati, sed solus modus: ergo &c. Prob. conf. quòd Prælatus sit solùm quoad modum invitus non apparet esse sufficiens ad mortale: ergo &c.

Conf. ut contra paupertatem non peccetur, non est necessaria voluntas positiva superioris licentiam concedentis, sed sufficit, quòd iste non habeat formalem, aut virtuales voluntatem prohibendi graviter talem usum, ac retinendi jus suum: ergo &c.

Conf. 2. Ut non committatur furtum, sufficit, quòd aliqua res contra voluntatem Domini non usurpetur: ergo etiam ad vitandum peccatum grave contra paupertatem sufficit, quòd res non acceptetur contra voluntatem superioris: atqui non ita usurpatur in dicto casu: ergo &c.

Prout autem talis nullum mortalè committit, ita ab hoc non immunis erit, qui aliquid accipit, vel

vel retinet tunc, quando ratione modi Prelatus etiam quoad substantiam ita est invitus, ut totum suum jus in rei substantiam retinere velit, ipsamque rei acceptationem, quantum in se est prohibere; ratio est, quia tunc Prelatus etiam quoad substantiam est invitus, quod totum provenit ex displicentia, quam circa modum concedit.

Ut ergo licentia præsumpta acceptationem, vel distractionem alicujus rei à mortali excuset, necesse est, ut non solum Prelatus daret licentiam rogatus, sed in super requiritur, ut nunc non habeat voluntatem omnino repugnantem, & graviter obligantem, quoties licentia non fuerit petita; etsi autem ille modus procedendi eidem displiceat, hunc tamen nequaquam debet semper ita averfari, ut propter illum ipsam substantiam velit reddere graviter illicitam.

43 Ob. contra hanc ultimam conclusionem licentia, ut non peccetur contra paupertatem, debet verè dari, quando aliquid à Religioso accipitur: sed præsumpta tantum, modo à nobis explicato, non verè datur: ergo illa non sufficit: prob. min. licentia quæ solum præsumitur, non datur; si enim actu daretur, non esset præsumpta, nec tantum crederetur dari: ergo &c.

Conf. consensus solummodo futurus & qui creditur tantum

futurus, non tribuit facultatem de præfenti: sed descripta licentia præsumpta est tantum ejusmodi consensus futurus: ergo &c. Prob. Maj. ad hoc ut habeam licentiam sufficientem ad absolvendum à peccatis, non sufficit, quòd proprius penitentis, parochus mihi concessurus foret licentiam, si hanc ab illo peterem: ergo &c.

44. conf. Maj. neg. min. in hujus probatione dist. ant. licentia, quæ præsumitur non datur secundum suum esse reale conc. non datur secundum esse præsumptum neg. ant. & dist. conf. ergo non datur secundum esse reale conc. Secundum esse præsumptivum, negatur conf. quia tantum creditur quòd Prelatus consensus esset, si peteretur licentia in re autem non consentit ideo in esse reali non datur verus quidam consensus, ac licentia: quia autem sub nomine licentia præsumpta intelligitur hæc ipsa prudens persuasio, uti etiam habitualis constitutio Prelati non agrè ferentis, quòd ipse hinc & nunc non conveniatur, ideo secundum suum esse præsumptivum datur licentia.

In confirmatione dist. Maj. consensus solummodo futurus non tribuit facultatem ad effectum, qui debet esse positivè voluntarius: conc. ad effectum, qui solum debet non esse involuntarius, neg. Maj. & conc. min. dist. conf.

conf. ergo præsumptus solummodo consentus non dat licentiam ad effectum, qui debet esse positivè voluntarius danti licentiam conc. conf. ad effectum qui debet tantum non esse involuntarius neg. conf. ut valeat absolutio confessionalis respectu personæ per se non subjectæ absolventi, necessarium est, ut parochus positivè consenserit, & illa sit positivè voluntaria ipsi parochi, ut autem acceptatio non sit contra paupertatem, sufficit, quòd non sit involuntaria superiori, non autem est talis, si ex voluntate vel expressa, vel præsumpta superioris fiat, ut in paupere ostendimus.

15 Dices: necessitas licentiæ in Religioso non oritur duntaxat ex iustitia sed etiam ex voto, quo se obligavit ad non utendum aliqua re, nisi dependenter à consensu superioris; ergo non idem consensus in Religioso sufficiet, qui sufficit in alio quodam paupere; consequenter superior debet actu consentire; ut non sit contra votum.

Pro Responsione notandum, ob votum paupertatis Religiosum verè cuidam pauperi assimilari, & talem effici: quid quid ergo consentiente Domino licet pauperi, etiam Religioso, æquè parùm proprium quid habenti conceditur dependenter à consensu sui superioris atqui ut pauper re aliena utatur absque peccato, suf-

ficit eidem licentia expressa vel præsumpta ipsius Domini: ergo etiam in Religioso sufficiet licentia expressa vel præsumpta superioris, & vicissim sicuti pauper peccat utens quadam re sine expressa vel præsumpta licentia Domini, à qua illa dependet; ita etiam Religiosus contra paupertatem delinquit, si absque ejusmodi expressa vel præsumpta licentia superioris sui re quadam utatur; sufficiet igitur ut effectus, seu acceptatio, aut retentio non sit involuntaria superiori; non autem requiritur, ut sit positivè huic voluntaria, Ex his patet sufficiens responsio ad objectionem modò propositam. itaque.

Ob. 2. Ponamus quòd aliquis 16 ex præsumpta tali licentia quidpiam acceperit: vel debet illud postea Prælato manifestare, vel non? Neutrum potest dici: ergo &c. R. si eadem adhuc ratio non petendi licentiam subsistat, nec postea manifestandam rem superiori esse idem tenendum, si res jam sit consumpta, vel alienata, eo quod ad præteritum licentia præsens deservire nequeat prout volunt Suarez Sanchez & Lugo. quod si autem res adhuc perseveret, & necdum sit consumpta, nec eadem prior ratio amplius subsistat, prout contingit, quando tota ratio præsumenda licentiæ fuerat, quod commodè superior adiri tunc nequiverat, erit res superiori intimanda;

T t

da;

da; quia tunc adhuc retinetur à subdito, & præsumi non potest, quòd Prælatus, si certior fieret, rem taliter acceptam retineri sine petita licentia, quoad modum tantum, & non etiam quoad substantiam sit invitus, cum licentia solummodo prudenter præsumpta fuerit pro tempore, quo subditus superiorem non poterat adire.

Ob. 3. Non potest dici, utrum præsumi licentia prudenter possit, quando superior videns subditum aliquid accipere vel expendere tacet, & non contradicit: ergo non sufficit præsumpta licentia. R. neg. ant. nam considerandum erit, num hæc taciturnitas sit pura quædam permissio illius, vel utrum sit insuper quædam approbatio, & tacita licentia ad Religiosum à culpa liberandum suffi-

ciens. in hoc posteriore casu non erit propriarius Religiosus, pro ut tamen est in priore, cum etiam ipsius Dei plurima peccata permittentis taciturnitas à culpa nequaquam excuset.

Urgent: cum taciturnitas subinde sit approbatio, & quidam consensus: subinde autem non fit, unde poterit cognosci, quod sic & nunc sit, vel non sit? R. quando superior præ verecundia aut timore non contradicit, fore puram permissionem, quæ nequaquam excusat accipientem à peccato. Si autem his cessantibus commodè prohibere poterit, & tamen non prohibuit, habenda taciturnitas pro approbatione. Ita de furtis habetur in *lego penultima ff. de furtis* & in *cap. Error* & in *cap. consentire dist. 23.*

S. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An Religiosus habens licentiam ad aliqua in usus, qui sibi placuerint, expendenda, admittat peccatum proprietatis aut iniustitiæ, expendendo illa ad usus turpes aut prohibitos?

19. POnitur in casu, quòd ordo, cui adscriptus Religiosus hospes fuerat, severè prohibuerit suis subditis omnem chartarum usum. Huic prohibitioni, cum

lulus fuerit contrarius, non leve dubium exoritur, an, si hic Religiosus facultatem habuerit certis pecuniis in usum proprium, qui eidem placuerit expendendi, illa etiam

etiam ad hunc modum se extendit. Pendet autem decisio hujus difficultatis ex duplici fundamento, utrum scilicet superior possit validè concedere licentiam ad quædam in usus illicitos expendenda: item si hoc absolute possit, quando præsumendus sit, aut præsumi possit, quod eandem dederit?

20 Quod primam difficultatem attingit, absolute talem potestatem superioribus denegant, & hinc nunquam ejusmodi licentiam præsumendam esse in usus illicitos, docent Molina Jesuita tom. 1. de *Justitia disp. 140. col. 9. versu si aliquid testamento*: Manuel, *qq. reg. tom. 2. q. 125. art. 2.* idem videntur sentire Navarra lib. 3. de *Restit. cap. 1.* Sayrus *clavi Regia lib. 9. cap. 16. n. 22.* idem Molina tom. 2. de *Just. disp. 276.* Sanchez in *Decal. lib. 7. cap. 19. n. 30.*

21 Rationes illorum sunt prima: non est judicandum, quod Prælati concedens Religioso tales pecunias ad usum, qui ei placuerit, etiam incluserit usum expendendi per lulum chartarum omnibus severe prohibetum: ergo peccavit Religiosus contra votum paupertatis. Prob. ant. si in particulari hæc licentia à superiore fuisset perita, non fuisset illa obtenta: ergo nec credendum est, quod etiam non requisitus consentiat.

Conf. in generali concessione non censentur ea concessa, quæ

denegarentur, si in particulari fuissent præposita, ut habetur in regula: in *generali s. 1. de Regulis Juris in 6.*

Secunda: illa licentia non est præsumenda, quàm superior saltem sine culpa non posset concedere, atqui non posset istam concedere: Prob. min. lex prohibitoria lusus est lata à superiore altiore, in cujus lege inferior non potest dispensare sine justa, & legitima causa: ergo cum hic nulla talis causa adsit, consensisse judicare non poterit.

Tertia, quæ Monachus ex licentia sui superioris habet, non ita habet, ut de ijs omnino ad libitum possit disponere, sed ut justum administratorem decet: sed hic non solet lusu bona Monasterij expendere: ergo &c.

Quarta, quando non solùm quoad modum, sed etiam quoad substantiam superior est invitus, illius consensus non potest præsumi: sed hæc dantur in hoc casu: ergo &c. Prob. min. superior efficaciter prohibet talem lulum, seu distractionem pecuniæ in vel per usus illicitos & turpes. Hucusque patroni sententiæ affirmativæ.

Ex opposito multi authores absolute negant, non esse possibilem casum, in quo Religiosus in usus prohibitos expendens non peccet contra paupertatem vitio proprietatis; quia defendunt quod Prælati Religionum suis subditis

T t 2

ab-

absolutè concedere possint, validè saltem licentiam ad sumptus superfluos, vanos, & inhonestos, hoc enim testante Lugone *de Just. disp. 3. sect. 7. n. 137.* defendunt, aut supponunt Antonius, Sylvester, Torrecremata, Lessius, Taberna, Azor, Grassius, & alij plures Theologi, & Juristæ citati apud Sanchez in *Decalogum lib. 7. cap. 19. n. 20.* sententiam istam probabilem quoque agnoscit Diana *de dubijs Regul. Resolut. 98.*

Ratio illorum est: superior potest dare licentiam generalem, quæ comprehendat non solos actus licitos, sed etiam illicitos, ita ut, licet hi ultimi non fiant absolutè liciti, non tamen sint contra votum paupertatis, seu vitium proprietatis: ergo &c. Prob. ant. Pontifex quando dispensat cum duobus consanguineis in ordine ad matrimonium, non tantum ad actum matrimonij, sed etiam ad copulam extra matrimonium dispensat, ita ut tales dispensati, si ante matrimonium carnaliter se cognoscant, non committant incestum: item si cum obligato ad jejunium in hoc dispensatum fuit, etiam dispensatum fuit in comestione carnis, ita ut contra præceptum jejunij nequaquam peccetur, licet ejusmodi carnis comestio tanquam noxia sanitati à medicis prohibita dispensato fuerit. Ergo potest Prælati sua concessione generali etiam concedere licentiam ad actus aliter inhonestos,

ita, ut hi non amplius sint contra illam legem, vel votum, in quo dispensatio, vel generalis licentia data fuerat: ergo hoc ipsum potest fieri in voto paupertatis; ita ut subditus talis ex licentia generali expendens in usus illicitos non peccaturus sit contra paupertatem vitio proprietatis, prob. hoc ultimum, ille solus est proprietarius, qui aliquid possidet, non tamen in communi, sed sibi soli independentè à superiore, vel communitate possidet: atqui hoc non fit in tali casu: prob. min. obreata tali licentia expenduntur pecunie, etiam per usus illicitos nomine superioris, & dependenter ab ejus voluntate: ergo &c.

Conf. 1. Si Prælati subdito concessit, ut à suis consanguineis accipiat esculenta, hæc generalis licentia censetur etiam se extendere ad acceptionem esculentorum, quæ die esuriali contra præceptum jejunij accipiuntur, & absumuntur, ita ut talis non sit proprietarius.

Conf. 2. Non obtinet praxis concedentium generalem facultatem suis subditis, ut tales casus illicitos in particulari excipiant: hinc habens licentiam comedendi carnes die esuriali, judicat sibi etiam concessum, comedere carnes furtivas, & sanitati noxias.

Ratio secunda est: nemo dicit, invalidas emptiones, aut venditiones esse, quibus subditus ex licentia Prælati sibi comparat, val-

de pretiosas imagines, vel alia multum pretiosa, & pauperes Religiosos dedecentia, ita ut venditores teneantur reddere acceptum pretium, & Religiosus res comparatas restituere venditoribus: ergo. Item emptio cibi fanitati noxij non est invalida ob intemperantiam eidem adjunctam, quando horum emptio ex licentia generali facta fuit.

Tertia: *Tridentinum sess. 25. cap. 2.* de regularibus solum precipit, ut supellex Religiosorum conveniens sit statui paupertatis, quam profitentur: non autem annullat licentiam ad comparationem similium rerum concessam.

Quarta, si talis licentia foret invalida, dominium illorum, quæ dependent ab illa in usus, & fines illicitos comparata fuerunt, non transfret ad Religiosos comparantes, sed maneret apud seculares, & his illa restituenda forent: atqui hoc nemo concedit: ergo &c.

Ratio illorum quinta est negativa, quando nullibi facultas dandi talem licentiam fuit ablata Prælati, possunt hanc dare: sed non potest probari, quod universaliter hæc potestas sit eisdem ablata: ergo &c.

Respondendum modò est argumentis n. 21. adductis, volentium ejusmodi licentiam fore invalidam. Ad primum itaque generalem concessionem probabilius se ad hos quoque usus

extendere prout fieri probatum in dispensatione Pontificis in impedimento consanguinitatis, & præcepto jejuniij, & ex sequelis pro sententia opposita adductis.

Ad regulam Juris 81. in 6. loco confirmationis allatam, quæ tradit in concessione generali non censi ea concessa, quæ denegarentur, si in particulari fuissent proposita: ad hanc inquam, regulam respondeo, eidem opponendo regulam 80. immediatè antecedentem, quæ ita sonat: *in toto partem non est dubium contineri.* Ergo in generali concessione indiscriminatim continentur species sub tali toto, ut partes comprehensæ, quia semper generalibus specialia insunt sicut pars toti *Lege semper ff. de Reg. Juris. n. 2.* si Religioso prohibitum esset, absque licentia sui superioris exire è Monasterio: postmodum autem exeundi potestas eidem generaliter concessa fuisset; licet hæc licentia abuteretur Religiosus ad eundo domum prohibitam; nemo diceret, quod tali egressu peccarit contra licentiam egrediendi: ergo idem tenendum erit de licentia non expendendi pecunias absque concessa ad id facultate ipsius superioris, si hic illam semel generalibus in terminis concesserit.

Ad secundam, cum distinctione Majoris: illa licentia non est præsumenda, quam nec generaliter, nec specialiter superior

concedere potest : conc. quam non potest specialiter dare , bene autem generaliter : neg. Maj. & dist. min. superior non potest concedere licentiam expendendi tales pecunias ad usus illicitos concessione quadam generali , negatur min. concessione quadam particulari & speciali , neg. min. concedens licentiam generalem ad quemlibet usum non videtur obligatus esse , ut ab illa universali facultate excipiat usum turpem atque illicitum & restringat ad solos actus honestos & illicitos : qui autem determinatè & specialiter ad usum illicitum aut turpem concedit licentiam , eidem censetur cooperari : ergo illicitè concederet. minimè autem judicatur cooperari concedens generalem facultatem , eò quòd generalem , eumque duntaxat indifferentem concursum ad usum illicitum contribuat , relinquendo facultatem integram ipsius conscientiae & obligationi. hæc omnia clucent clariùs in dante alteri facultatem absolvendi à peccatis : item in christo concedente generalem facultatem consecrandi , non restringentibus valorem suæ licentiæ ad solos actus licitos , quin illicitos dicantur per hoc intendere.

25 Ex hoc ipso fundamento solvitur etiam tertio loco proposita obiectio , volens , subditis concessam fuisse duntaxat licentiam justè administrandi. superior etenim integram facultatem alicui mi-

nistro , aut inferiori superiori potest concedere , quin limitationem quandam adjiciat.

Ratio quarto loco pro contraria sententia allata solvitur , dum ostensum , supposita generali facultate superiore non esse invitum , quoad substantiam ,

Oppones : Prælatus non est Dominus sed solum administrator : ergo juxta solam facultatem à jure sibi traditam potest res administrare : ergo ad actus à jure prohibitos non potest dare ullam facultatem validam. *no.* conc. *22.* dist. *conf.* ergo non potest ad actus à jure prohibitos dare facultatem validam , si talis facultas caderet in fraudem , vel grave detrimentum ipsius conventus , conc. si hoc absit , negatur. atqui regulariter conventus non patitur tale detrimentum , licet subditus sibi concessum peculium , quod aliàs liberè potuerat ablatum , in hos vel illos usus illicitos expendat.

Examinatò primò , ex quo difficultas proposita decidenda venit , fundamentò , pergimus ad alterum , num scilicet Prælatus concedens subdito licentiam generalem expendendi aliqua , censendus semper sit excludere ista turpes & inhonestos ? Pro hoc ratio dubij resolutione habenda est ratio diversi modi , quo turpitudinem vel inhonestas in ejusmodi actibus illicitis reperitur. Subinde etenim turpido in ipsa dona-

tionē, vel contractu, reperitur, ut si Religiosus alteri det pecunias, ut tertium occidat: subinde autem nulla turpitudine in ipso contractu apparet, latet autem illa in mente Religiosi & ex huius parte se tenet, ut si Religiosus quid pium emeret, ut illo postea ad fines malos uti possit v. g. donare meretrici. His præmissis.

- 29 Dico 1. In generali licentia expendendi certam pecuniam, inclusam quoque esse licentiam specialem expendendi in usus illicitos, & turpes, si turpitudine non ex ipsius contractus, sed ex sola contrahentis parte, vel mente se teneat. Huic sententiæ subscribunt Bannes. in *quest. de licentia Prælati, quest. 62. art. 5. dub. 5. verju: advertendum erit.* Ludov. Lopez lib. 2. de *contract. cap. 40.* Rebellus in *præseni parte 2. lib. 2. q. 4. sect. 2. n. 6.* Salas *tract. de ludo dub. 21. n. 4.* Lugo de *Just. disp. 3. sect. 7. n. 142.* Prob. concl. superior inclusit in sua licentia omnem distractionem, & contractum, qui in se consideratus nec inhonestus, nec illicitus futurus erit: atqui talis contractus nec est illicitus, nec inhonestus in se: ergo illum inclusit. Prob. min. in ipso contractu nulla apparet turpitudine, potuisset etenim Religiosus res taliter emptas, etiam in usus licitos & honestos impendere: ergo &c.

Conf. omnis turpitudine duntaxat apparet in usu emptæ rei, non autem in huius emptione: ergo &c.

Conf. 2. Si non adfuisset licentia, contractus ejusmodi fuisset nullus, consequenter venditor ad restitutionem accepti pretij cogendus esset: atqui hoc est contrarium quotidianæ praxi: ergo &c.

Dico 2. Probabiliter concessa generaliter expendendi quædam licentia extendi potest ad contractus etiam in se turpes atque illicitos. Ita citati pro superiore conclus. Authores probabilem etiam agnoscunt Sayrus in *clavi Regia lib. 11. c. 12. n. 15.* & Diana tom. 2. *tract. 2. de dubijs Regularum resolut. 98.* Prob. generalis dispensatio, & licentia in alijs materijs dicta nequaquam judicatur limitata ad solos usus, vel actus aliunde non turpes aut illicitos: ergo etiam licentia in alienandis ejusmodi rebus, aut accipiendis non ita limitatur, sed in istis quoque aufert turpitudinem, quam sine tali licentia haberent. Antecedens constat ex superioribus dictis, consequentia probatur negativè.

Ob. 1. Illa licentia non potest præsumi data fuisse à Prælato, quàm iste absque gravi peccato non potest concedere: sed licentiam expendendi ad usus in se inhonestos non potest Prælatus concedere absque gravi peccato: ergo non est præsumendus concessisse, v. dist. min. talis licentia non

non potest à Prælatò concedi in speciali, & determinatè, conc. in generali, & indeterminatè, negatur min. &c. Ratio distinctionis est, quòd in licentia speciali Prælatùs cooperaretur peccato subditi, non autem in generali, vi cuius cedit juri suo in universum, quo fit, ut ex ea parte nullus usus malitiam injustitiæ, aut proprietatis in se contineat. Totam hanc rem præclare explicat Cardinalis de Lugo, instantia è contractu mutui, & dato mutuanti pignore, petita; si mihi mutuator Cajus dedisset mutuum, ego autem in pignus eidem scyphum aureum, postea autem me rogasset Cajus, ut datum scyphum ad suos usus adhibere posset: generalem eidem licentiam ad omnes usus possem concedere, illique hos permittere, cedendo universim meo jure, ita ut hoc nequaquam læderet quocunque illius scyphi usu, eò quòd nullus me invito fiat: nec censerer ex hoc cooperari alterius peccato, quod in malos usus impendendo committeret. Ergo idem de superiore tenendum erit.

32 Ob. 2. Pontifex concedens Episcopo licentiam testandi, nequaquam præsumitur eam concedere nisi ad opera pia, casu, quo non explicet contrarium: ergo licentia generalis non est extendenda ad usus illicitos & turpes, ant. tenet communis Doctorum, quos assert & sequitur

Sanchez lib. 2. consil. cap. 2. dub. 51. n. 6.

Conf. illam licentiam concedit Prælatùs, quæ ab ipso fuit petita: sed non fuit petita licentia ad turpia: ergo hanc nec intendebat concedere superior. 3. conc. ant. neg. conf. ut disparitas inter utrumque casum appareat, sciendum: nonnunquam positionem cujusdam actus ex duplici impedimento esse illicitam, insuper superiorum posse subinde dispensare in utroque impedimento, subinde tantum in unico: quòd si utrumque dispensando possit quidem tollere, interea tamen unus impedimenti ablatio non sit necessaria ad auferendum alterum, auferendo per dispensationem unum, non censetur etiam hoc ipso abstulisse alterum; eò quòd dispensatio, ut quid odiosum, sit restringenda: quando autem superior unicum duntaxat, non autem alterum impedimentum sua dispensatione auferre potest, concessa ab ipso facultas neutiquam erit limitanda, eò ipso, quòd in illius potestate non sit, alterum quoque impedimentum, sed solum oppositionem cum unica lege simpliciter & absolute tollere veniendo jam ad factam objectionem; Episcopi nec possunt testari, nec ad alias, nisi ad causas pias de Ecclesiasticis bonis disponere: ut ergo ad causas profanas mediante testamento dispositio licita, & valida procedat, tam

tam impedimentum prohibens dispositionem ad causas pias, quam alterum absolute prohibens confectionem testamenti, à Pontifice potente dispensare in utroque, tollendum erit. Patet igitur ex dictis, Pontificem dispensantem in confectione testamenti, non esse censendum dispensasse etiam in ordine ad causas profanas, cum dispensatio in hoc posteriore non sit necessaria ad facultatem condendi testamentum, & nullam expressam mentionem de hoc fe-

cisse, ponatur Pontifex. Prælati Religiosus ex opposito ponitur non habere facultatem tollendi inhonestatem contractus, vel actus quo pecunia accipitur, vel distrahitur: ergo circa hoc nihil disponit, sed tantum facit, ut non opponatur voto paupertatis, & alienatio non fiat sine consensu suo aut totius communitatis, eo prorusus modo, quo debitor concedit depositario simpliciter facultatem utendi deposito, quin huius usu eidem injuriam inferat.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid de hoc particulari casu sit tenendum?

33 Dico 1. Si noster Religiosus absque expressa vel tacita superioris sui licentia luserit, peccasse illum contra votum paupertatis. prob. omnis actus dominij sine licentia superioris exercitus est contra votum paupertatis: sed hic actus erat actus dominij exercitus, uti ponimus, sine licentia superioris: ergo &c. prob. min. omnis deponens rem quampiam in ludo habet animum transferendi dominium rei exposita in alterum, sub hac conditione, si alter victor evaserit, sed talis expositio est actus dominij: ergo &c.

tia Religiosus noster luserit, debuerat ille omne lucrum probabilius suis collusoribus victis restituere, constat conclusio ex §. 4. alterius de contractu lusorio casus; est etenim de ratione ludi justus, ut in eo uterque ludens æqualis conditionis sit in periculo amittendi, ac lucrandi: atqui in tali casu non fuisset: ergo &c.

Dices contra hanc conclusio- nem: contractus à nostro Religioso absque sui Prælati consensu celebratus potest sustineri à Prælato, quatenus in ejus utilitatem cedit: ergo potuit esse validus, & hinc lucrum non erit restituendum. ¶. ex hoc nil probari con-

Uu tra

tra nos. Ratio est; ut talis lusus posset à Pralato postmodum ratificari, deberet ille usque ad istius approbationem manere suspensus: atqui hoc non fit: ergo. *Mij. Prob. à pari*, quando emptio, aut vendito, vel alius quidam contractus postea primum ratificatur, manet ille antea semper suspensus: ergo hoc ipsum de lusu postea primum ratificando erit tenendum, *min. verò prob. si lucrum, aut valor præhabiti contractus manet suspensus usque ad approbationem Pralati*, tunc vel Prælatus certior factus eundem solummodo approbat, & de cætero ad nihil aliud se obligat? Vel ad quidpiam se postea obligat, ut scilicet etiam ille velit subire periculum perdendi rem à suo Religioso antea depositam? Hoc ultimum ponitur non facere: ergo solum approbaret contractum, & lucrum jam certò habitum: sed hoc non sufficit: *prob. min. ludus est contractus onerosus ex utraque parte: atqui non esset in hoc casu; cum Prælatus lucrum sine omni periculo aliquid perdendi faceret, & præhabitu lusu, casu, quo in illo suus Religiosus fuisset victus, neutiquam ratum haberet.*

36 Dico 3. Si ceteri Religiosi, cum licentia sui superioris ludentes, cum hoc alterius ordinis Religioso victores in ludo evasissent, retinere nequaquam potuissent lucrum ex ludo cum alte-

rius ordinis Religioso absque debita licentia instituto, conclusio iterum constat ex antea dictis, & defenditur à D. Thoma 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. Et ceteris omnibus. *Prob. unicus titulus, ex quo tale lucrum retinere victores possent, foret ipsa iustitia, aut valor contractus lusorij: atqui hæc iustitia non datur: Prob. min. hoc ipso, quòd talis Religiosus non habuerit dominium rei in ludo expositæ, neque facultatem eandem alienandi, injustus, & nullus erat contractus lusorius, cum iste exigat, & supponat in ludentibus facultatem alienandi rem depositam.*

Dico 4. Superiores Religiosorum posse absolute suis subditis dare licentiam ad honestum lulum. Ita docet Major, Ledesma, Alcazer, Navarr, Valentia, Thomas Sanchez cum alijs etc. *Prob. si non possent hanc facultatem dare, ratio foret, quia etiam ipsi Prælati sunt tantum administratores, non autem Domini rerum ad monasterium spectantium: ex altera verò parte administratores non possunt dare facultatem alienandi: hæc ratio nulla est: prob. min. superiores Religiosi non sunt duntaxat administratores cuiusdam privati dominij, quod ad unicam duntaxat personam spectet, de quibus administratoribus constat, quòd alienare nequeant: sed sunt absolute bonorum monasterialium administratores, instructi facultate*

alienandi, & expendendi bona Religionis in usus honestos, & utiles: ergo prædicta ratio nulla est, consequenter Prælati poterunt dare facultatem ad lulum honestum.

38 Dico 5. Etiam si huic extero Religioso prohibitum fuisset à regulis suæ Religionis chartis ludere, si tamen universalem licentiam habuerat, suum depositum, è quo pecunias in ludo depositas acceperat, expendendi, atque alienandi, contractum lusorium fuisse validum, & reportatum ex eo lucrum à victore potuisse retineri. Prob. concl. in tali casu contractus lusorius erat validus: ergo victor hoc lucrum fecerat suum. Prob. ant. ratio, ex qua poterat esse invalidus hic lusus, potest esse hæc sola, & unica, quia externus Religiosus non habebat facultatem alienandi rem in ludo depositam: atqui habuit hanc facultatem, si universalem licentiam habuerat alienandi suum depositum: ergo &c. Minor constat ex §. 2. ac resolutione secundi quæstus, ubi concludebamus, generalem licentiam alienandi certas res etiam sub se comprehendere usus illicitos, non in hoc sensu, quasi ob talem licentiam alienandi ejusmodi in se illicitus usus evaderet licitus, & honestus: sed in isto, quod talis alienatio non sit peccatum contra votum paupertatis, & actus quidam proprietatis: validaque sit alienatio, nec non dominium

taliter alienata rei verè in alterum fuerit translatum.

Dico 6. Si noster Religiosus solam licentiam habuit, ut suum peculium exponeret ad usus honestos, ex altera autem parte, in ipsius ordine severè prohibitus fuerat lusus chartarum, tum ab illo peccatum contra votum paupertatis fuisse, & ipsum lulum invalidum, consequenter lucrum exinde reportatum cæteris victis in ludo Religiosis restituendum. Ratio primi est: quia lusus chartarum severè in Religione prohibitus, non est res, & actio quædam honesta: ergo si licentiam duntaxat habuit peculium suum expendendi ad usus honestos, illa se non extendebat ad hunc casum. Ratio alterius partis constat ex dictis; si enim defuit licentia alienandi has pecunias, tunc non erat validus ille contractus, consequenter dominium lueri non erat translatum in victorem Religiosum exterum.

Dico 7. Cum suppositâ generali licentiâ deponendi pecunias in ludo, hic fuerit validus, lucrum inde factum transit in dominium monasterij, cui exterus ille Religiosus erat incorporatus. Prob. quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit. Conf. cum Religiosi Professus in particulari careant omni dominio, hinc non possunt alicujus rei evadere Domini, sed res talis ad monasterium devolvitur.

Uu 2

Di-

41 Dices : ut lusus fuerit validus , noster exterus Religiosus debuit perdere tantam summam , quantam lucratus fuerat , ut nimirum daretur æqualitas inter ludentes : sed hoc non potuit : ergo &c. prob. min. probabilissimè non habuerit in suo peculio sexaginta florenos , quos tamen ponitur lucratus fuisse : ergo adhuc non potest defendi , quòd illud lucrum retineri potuerit , & monasterio accesserit. R. dist. Maj. debuit potuisse perdere tantam summam , quantam exposuit singulis jactibus : conc. debuit potuisse perdere tantum uno jactu , quantum lucratus est omnibus successivis jactibus durante eodem ludo continuatis , neg. Maj. & sub eadem distinctione conc. & negata min. neg. conf. ponamus , quòd habuerit tres aureos , potuit primo jactu tres hos deponere , dein lucrari alios tres , postea hos sex omnes deponere , & lucrari alios sex , & sic deinceps.

42 Dices 2. Si primum lucrum acquisitum fuerat monasterio , & non ipsi Religioso , non potuit iste acquisitum lucrum trium aureorum denuo exponere in ludo : ergo saltem non potuit retinere lucrum in secundo jactu expositum. R. dist. ant. non potuit , si non meritò præsumpta licentia sui Monasterij adfuisse , conc. si hæc adfuerit , neg. Juxta Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 19. n. 84.

& Cardinalem de Lugo de just. disp. 3. sect. 7. n. 145. talis Religiosus , ex licentia saltem tacita sui Prælati ludens , potest & debet præsumere , superiorem velle , ut durante eodem ludo etiam exponat , quæ in illo lucratus fuerat ; cum hoc æquitas ludi postulet ; non enim censetur lucrum simpliciter acquisitum , usquequodum totus ludus fuerit finitus : ergo , quod finito ludo restat lucrum , illud duntaxat est acquisitum monasterio.

Dices 3. Saltem talis Religiosus non posset altero die denuo in ludo exponere lucrum , quod pridie ab illis Religiosis in ludo acquisiverat. R. dist. non posset hoc in Rigore juris , conc. non posset hoc ex quadam æquitate & ex communi licentia ludendi neg. videtur enim urbanitati , & humanitati congruum , ut redeunte adversario ad ludum die sequenti , & lucrante tot aureos , quot lucrans pridie Religiosus in suo deposito habuerat , non statim à ludo cessetur , sed pridie acquisitum lucrum totum denuo exponatur in ludo ; equum etenim est , ut monasterium , quod lucrum sensit , patiarur & damnum , in sentiunt Rebellus part. 2. lib. 21. q. 4. Lugo n. 145.

Dico 8. Per se pessimè fecisse exterum hunc Religiosum . quòd finito jam lusu pecunias acquisitas denuo cæteris victis in lusu Religiosis reddiderit. Ratio est , quia

quia juxta dicta ille non erat Dominus hujus lucri, sed Monasterium, quod utique non potuit præsumi consentire in donationem sexaginta florenorum alijs faciendam. Quòd autem monasterium illud lucrum jam obtinuerit, ex eo patet, quia ludus jam fuerat plenissimè finitus.

Nec obest, quòd domestici Religiosi voluerint diutius ludere, atque ad continuationem ludi renitentem Religiosum victorem cogere; ponitur enim in casu, quòd victor condixerit ad lulum ad certas horas continuandum, petierit etiam libertatem ab hoc postmodum desistendi, & hanc etiam à domesticis Religiosis impetrauerit, & constitutum lusui continuando tempus impleverit: ergo non amplius obligabatur ad continuandum lulum: cum ergo omnino abruptus fuerit lusus,

plenissimè in dominium ipsius monasterij omne lucrum transferat.

Dixi autem Religiosum victorem per se caruisse facultate donandi, si enim considerantur circumstantiæ, in quibus donatio erat facta, potuit prudenter præsumere concessam sibi hinc & nunc licentiam esse restituendi devictis suas ludo amissas pecunias; vidimus etenim in positione casus, domesticos Religiosos omnimodo urfisse victorem, ut continuaret ludum, & hinc maxima commotionis cujusdam signa edidisse, ægerrimè ferentes jacturam tantæ summæ: cum ergo si ipse Prælatus vincentis Religiosis adfuisset, absque dubio suo Religioso imperâset restitutionem, hanc ipsam prudentissimè facere etiam Religiosus in absentia sui Prælati poterat.

SYNONYMS

